



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Romanorum Pontificum in salute hominum promovenda Providentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

poſe & admiratione cœleſtia verba fundentem audiebamus. Eos vero verſus iſta uti auctori eos in ſomno animus dictavit, nec ulla deinde cura expoſitos, hoc loco inferere volui, exiſtimans non minus eos gratos fore poſteris, quam tum dolenter ab omnibus augurium illud vehementer extimeſcentibus, fuere accepti. Sic vero habent.

*Præpete dum toties errabat ad aſtra volatu
Mentis, & hinc animi motu dum cœrula Cœli
Templa frequentabat, tandem hūc ſuſcepit Olympus
Æternum, ipſe prior cœleſtis imagine forma
Captus. Acerba igitur nobis non mortis ademit
Te, Puteane, dies; ſed dum te ad ſidera tollis,
Iſque rediſque animo conſuetum limen Olympi,
Terrea ſublimem te vita reliquit in aſtris,
Candidus ut degas cum Diſ cœleſtibus ævum,
Luceat & nunc te cœlo non purior ignis.*

QVOMODO SOCIETATI IN GERMANIAM ADITUS SIT PATEFACTUS; EAQUE DEINDE PER TOTUM TERRARUM ORBEM SE DIFFUDERIT.

CAPUT TERTIUM.
ARGUMENTUM.

- I. Ieſuita in Germaniam veniunt.
- II. Romanorum Pontificum in ſalute hominum promovenda Providentia.
- III. Quibus artibus Ieſuita juventutem imbuant & informant.
- IV. Magnus Societatis Ieſu Collegiorum in Germania numerus.
- V. Nec non in Polonia & aliis locis.
- VI. Societas Ieſu per univerſum Mundum diſperſa.

I. **A** Emulatio quæ inter duos potentiffimos Chriſtiani orbis Monarchas, Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum Galliarum Regem excitata primum, deinde tanta cum populorum ab utraque parte ſtrage, ad Philippum & Henricum eorum ſucceſſores derivata fuit, Lutheraniſmo, tot capitibus & anteſignanis orbato ac pœne proſtrato, ſpacium respirandi ac ſe recolligendi dedit. Nec mirum, tanta principibus inter ſe contentione pugnantibus, ut ad mutuam invaſionem, ſexaginta octo exercitus conſcripti dicantur. Qua in re uterque Proteſtantium non accipiebat ſolum, ſed quærebatur etiam auxilia; qui tum in Imperio Novum ſibi alterum Imperium formarant, & ſædere ſtabi-

liverant. Sed iis quæ ad politicum ſtatum pertinent omiſſis, religionis ſtatum explicemus. Quemadmodum vero atrox hoc contra Eccleſiam bellum in Germania primo fuit excitatum, ita ad domandos, aut ultero etiam oppugnandos perduelles in eadem auxilia quamprimùm comparari, aut aliunde acciri & novis copiis veteres ſuppleri neceſſe fuit. Primus ex Ieſuitarum Societate in Germania hæreſi bellum intulit Petrus Faber, Anno 1541. ineunte iſ Germaniam, jufſu Pont. cū Petro Hortizio in Hiſpanias ituro & ab Imperatore comitia tū Wormatiæ celebrante, evocato ingreſſus eſt. Natus hic fuit in pago quodam Genevæ vicino, qui puer anno ætatis duodecimo, paſtoriam vitam agens perpetuæ caſtitaſis votum Deo fecit, ex ovium paſtore magnus poſtea animarum in ovili Jeſu Chriſti paſtor factus; primus ex illis qui ſub Jeſu nominis vexillo, ſpirituſi militiæ ab Ignatio adſcribi voluerunt.

Fuit hic præter inſignem doctrinam, amabili quadam vitæ gravitate ad conciliandum, & ſingulari prudentia ad retinendum hominum amorem præditus; quibus ille virtutibus quum aliorum Catholicorum Principum animos mirifice ſibi obligavit, tum Cardinalibus imprimis tam Moguntino quam Auguſtano, pergratus fuit. Hic primus Societati in Germaniam aditum aperuit, quæ tantopere poſtea ibi multiplicata eſt, ut in ea LXX. Collegia numerentur. Brevis morâ in Hiſpaniis verſatus, in Germaniam rediturus jufſu Pontificis Faber naſtus eſt viæ Comites & vitæ duos ex aula Regiæ Sacellanos Joan. Aragoniū & Alvarum Alphonſum quorum prior Colonia ad SS. Trium Regum, alter ad S. Urfulæ memoriã ſtudiaque amplius excolenda miſſi in Montano Gymnaſio Petro Caniſio Neomagenſi innotuerunt, quem fama Fabri excitatum & Colonia ipſum videndꝫ deſiderio Moguntiam profectum, Chriſto Faber lucrificavit. Interea dum hi boni ſucceſſus veluti vadum in Germania tentant primo Colonia incepto Collegio; Cardinalis Moronus, Pontificis in Concilio Trident. Legatus, Ignatii ſuaſu Germanicum Collegium Romæ inſtituit, in quo ejus nationis adoleſcentes ſelecti bonis literis, ac præcipue pietate & virtutibus inſtruerentur, ut pro virili quifque ſua bonam deinde patriæ operam navare poſſent; additis proventibus ad eam rem neceſſariis, quos Gregorii XIII. Pontificis liberalitas deinde plurimum auxit.

II. Quis hoc tam ſanctum Parum iſtorum inſtitutum

tutum satis digne laudaverit? qui in tanta hæresoon tempffitate, è multis undique ædificatis à se speculis, errantibus non lumen tantum, verum etiam portus & tutas periclitantibus stationes ostenderunt. In hoc illi vera doctrina ac Catholica fide imbuuntur, ut quum studiorum finem facere visum fuerit, in patriam reversi, Domini vineam ab hæresibus evastatam restaurent. Neque vero uno Germanico Collegio cæpto contenti præter illud ibidem in usum Græcorum, Anglorum, Illyricorum, Armeniorum & aliarum nationum videntur Collegia, ut Laureti Illyricorum exorfi, tam adversis cum rebus, quam hominibus luctati, semper in salvum consilia pia eduxerunt. O pulcram & admirabilem Ecclesiæ politiam! O summam ejus cujus auctoritate in ea omnia diriguntur, & ad cujus nutum totus pæne terrarum Orbis movetur, sapientiam! Romani hujus collegii foundationem multum adjuvit Franciscus Borgia Dux Gandiæ, Hispaniarum regi necessitudine conjunctus: qui Mundo abdicato, è Duce opulento pauper Jesuita factus est, tanto majori cum omnium admiratione, quanto certior dignitatis ejus indices amplificandæ in sæculo spes erat: Hujus exemplum sequutus Antonius de Cardona, ex illustrissima Hispaniæ Magnatum familia ortus, eidem Societati nomen dedit; rum Sanctius de Castilia, Petrus de Lodosa, Jacobus de Guzman, & alii illustribus & nobilissimis familiis prognati qui omnes sub Ignatio, Generali militiæ præfecto, spiritualem militiam sequuti sunt, dominationem servitute, imperium obedientia, divitias paupertate, & libertatem subjectione permutantes. Omnibus vero illis cujuscumque nationis Collegiis & Seminariis Jesuitæ præfunt, quorum admirabili prudentiâ juveniles animi, è terra jam ad cælum adspirantes, tam humanis quam divinis literis imbuuntur. In hac officina assiduo ad bellum tenebrarum Principi inferendum necessarii apparatus comparantur, & novi exercitus subinde formantur.

III. Hi magni isti sunt & sapientes tam corporum quam animarum ductores, quibus ex omni vita vix una horula perit, quæ non in expoliendis & ad virtutem & pietatem informandis teneræ juventutis animis collocetur. Ego in ipsorum collegiis non ordinem tantum & dexteritatem docendi, verum etiam miram temporis distribuendi sollicitiam vehementer sæpe sum admiratus, quæ tanta est, ut non dies, sed vix ullum momentum sine linea abeat, & nec studia devotioni obstent, nec devotio studia retardet. Omnia vero ea sunt

moderatione, ut nec ingenia exhauriantur, nec corpora assiduis laboribus inutiliter conficiantur. Quemadmodum enim prudens venator nimium odori sequi canis impetum retrahit; aut bonus agricola fertilem terram non sine omni quiete subigit & fatigat, ne scilicet assiduo illo & nimio cultu tandem exhauriatur; sic illi eos, quos nimio opere ad studia inclinatos ac propensos vident, frânis quibusdam retinent, & ad liberales animi remissiones indies hora post cibû ultrò deducunt. Eorum uni singulis noctibus per omnia cubacula circumcundi, & post certam horam lumina exstinguendi munus demandatum est, ut omnes nocturna quiete recreati, mane tanto alacrius ad laborem confluant. Novi ego quosdam, qui lucernæ inopia ad Lunæ lumen quod poterant noctis legendo aut scribendo exegerunt tantus in plerisque impetus ad ea quæ illi instituto sunt propria ornamenta. Præterea, ut medici eis qui visus infirmitate laborant, repente copiosum lumen adspicere vetant, sed è locis primo obscurioribus ad clariora paullatim deducunt, ut lucem tandem sine ulla oculorum læsione ferre queant: sic illi eos præsertim qui ad Ecclesiæ ministeria destinati sunt, non statim ac humaniorum litterarum periti sunt, aut Philosophiam emensi ad S. Scripturæ solem exponunt, sed paullatim per inferiora magisque facilia docendi usu confirmant & sensim per Gradus Scholarum ad difficiliora perducunt. In hac Societate ordine & sub certis regulis omnia fiunt. *Alia hic observatur ratio quam in novellis illis, Reformatis scilicet nostri sæculi Ecclesiis, ubi sine ulla linguarum aut artium ad Theologiam necessariarum cognitione, imperiti adolescentuli schola prorepentes in suggestum producuntur, nullam, nisi velut pica aut psitaci, sine ratione garriendi artem edocti.* Porro in Jesuitarum illa seminaria nulli suscipiuntur, nisi qui ad Philosophiam discendam apti judicati fuerint: cujus studiis tres impenduntur anni. Hoc decurso spacio, Theologiæ admoventur, cui totum quadriennium est constitutum. Septem his annis exactis, prævio examine quam ad quisque provinciam maximè sit idoneus, de generalis Præfecti voluntate diversas in partes ad Ecclesiastica obeunda ministeria ablegantur. In solo illo Germanorum seminario, è quo præter cæteros, tres magni viri prodierunt, continuo circiter trecenti adduntur qui velut promptum Christianæ Reipublicæ subsidium in omnes partes censerî possunt. Omitto Nobile illud in media Germania Fuldense Seminarium S. Apostolicæ sedis sumptu

multis